



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1646**

De loco diuini Officij. VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40233**

prandium, Vesperæ & Completorium post prandium, *Tolet. lib. 2. cap. 23.* Sed excusatur ab omni peccato ille qui recitat Primam cum Tertia, Sexta & Nona simul, duabus vel tribus horis post Solis ortum, *Bonacin. loco citato num. 9.*

8 Qui verò differt Matutinum sine causa ad Vesperas, vel anticipat Completorium ante prandium, nimis notabiliter variat tempus, & peccat venialiter, *Bonac. ibidem.*

9 In Choro statæ horæ sunt obseruandæ magis quàm in priuata recitatione, *Nauar. cap. 3. num. 63. & alij cum Bonac. num. 7.* qui tamen cum Caietano, secluso scandalo, censet, non peccare mortaliter eos qui extra statas horas in Choro recitant; & *ibidem* addit, posse, ob Processionem, vel Concionem, mutari horam. Si quod est peccatum, imputatur Superiori potius quàm Canonicis, paratis tamen ad obediendum.

*De loco diuini Officij. TIT. VII.*

1 **V** Bique recitari potest priuatè, *Azor. lib. 10. cap. 11. quæst. 8.* modò non impediatur attentio, *Nauar. cap. 21. num. 32.* & locus sit decens, *ex Molfes. Tract. 5. cap. 2. n. 80.*

2 In Choro verò tenentur recitare, qui Choro sunt addicti ex iustitia, iuxta institutionem beneficiorum & consuetudinem locorum, nisi aliud cogat necessitas, vt hiemis tempore in Sacristia, vel adsit consuetudo legitima, vel priuilegium Papæ, vel Fundatoris institutio, *Bellarmin. in lib. de Bon. oper. cap. 18. ver. Locus. & Doctores communiter.*

3 Vnde Canonici, qui vltra tres menses à Tridentino permiffos, notabiliter, hoc est, pluribus diebus, vltra

quatuor, à Choro absunt, per se loquendo mortaliter peccant, vt fusiùs *Bonac. disp. 2. quæst. 1. par. 2. num. 1.* Neque possunt alios sibi substituere, *ibidem pun. 4. num. 1.* nisi consuetudo legitima vel priuilegium adsit, ait *Moneta noster de Distrib. par. 2. q. 14. num. 20. & 42.* An teneantur adesse in habitu Canonicali, vide *Monetam ibidem quæst. 19. ad finem.*

4 Fieri etiam potest, vt, consuetudine immemorabili, vel sufficienter præscripta, Canonici, quorum fructus sunt tenues, non teneantur quotidie ad Chorum, *Bonac. disp. 1. quæst. 2. punc. 5. num. 14.*

5 Episcopi per se loquendo non sunt addicti Choro, *Bonacin. ibidem num. 9.*

6 Parochi de Iure antiquo tenebantur, nunc minimè, ad publicam recitationem Officij in Ecclesia, & hoc de consuetudine ferè vniuersali & communiter recepta, exceptis Vesperis in diebus Festis, *ex Suar. & Bonacin. loco supra citato num. 12.*

7 Multò minùs Cappellani tenentur ad Chorum, quibus ex fundatione non incumbit hæc cura, *Bonac. nu. 13.*

8 Regulares addicti Choro non tenentur ad Chorum, nisi ex vi Regulæ, & idèd non sub peccato mortali, *Caiet. v. Hora Can. & Bonacin. loco cit. quæst. 2. pun. 2. num. 8.*

*De ordine diuini Officij. TIT. VIII.*

1 **Q** Vi sine insta causa peruertit ordinem Horarum, peccat venialiter. Iusta verò causa est obliuio, inaduertentia, vt Chorus iuuetur, vel alius, ad dicendum Officium, *Azor. cap. 10. quæst. 1. ex Nauar. cap. 3. num. 65.*

2 Peruersio eiusdem horæ, secluso con-